



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Bestialitas in moribus cognoscitur. bestialis enim homo non percipit quæ  
Dei sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

beneficium honoris & prouentus bonorum temporaliū, nam sic ad regulas distributionis cōmuniū bonorum reducitur. Dico autem hoc, quia si ad principale secūdum veritatem in beneficio inuētum (hoc est officium pascendi, ministrandi diuina, persoluendi, &c. spectetur) non esset distributio bonorum, sed malorum, hoc est onerum. Et sufficeret eligere dignum: quoniam cessat ibi ratio acceptio personarum, qua in bonis dignior postponitur.

Conferre autem pueris Ecclesiastica beneficia, existentibus aliis adultis idoneis, non solum inexcusabile, sed intolerabile videtur: tum quia pueri sunt solum idonei in spe, adulti autem in re, tum quia officium diuinum deuotè & studiosè persoluere nequeunt: quum nec humana officia valeant exercere, nisi ut pueri: & tamen beneficiatorum nullus excusat ab officio diuino. Nec est verum, quod secundum iura canonica concedantur beneficia pueris, immo expresse hoc reprehendit. extrà de præben. capi. super inordinata. Et si aliqui sunt ordinatae aliquæ præbendas pro pueris, vide illorum statuta: & vt puto inuenies, quod non sunt beneficia ecclesiastica, sed quædam prouisiones ad sustentandos & alendos pueros in seruitio Ecclesiastico. Vnde non tenentur tales ad officium diuinū: sed ad id, ad quod sunt quasi conducti.

*Bestialitas in moribus cognoscitur. besti-*

*alis enim homo non percipit*

*que Dei sunt.*

**B**estialitas in mortalibus, est genus vitii plusquam humani. Et multis materiis communis est, in quibus efficitur homo sicut bestia, vel in cōuersando, vel in comedendo, vel in coitu, vel in persequendo seu occidendo. Et constat propterea semper esse peccatum. Si tamen mentis compos sit. Et communiter est

mores

mortalissimum, nisi propter imperfectionem actus, ut  
si quis ambulet manibus & pedibus. Bestialitas enim  
haec venialis est, turpisima tamen, nisi ioci gratia fiat.

*Blasphemia Deum habens pro obiecto,  
semper est peccatum mortale.*

**B**lasphemia peccatum mortale grauissimum est:  
quia est contra Deum. Et consistit in dicendo ali-  
quid, quod Deo non conuenit: puta Deum esse iniu-  
stum. Vel negando aliquid quod Deo conuenit: puta  
Deum non curare de nostris, vel tribuēdo quod Deo  
soli conuenit creaturæ: puta quod diabolus est omni-  
potens: aut quod fatum regit omnia. Vel Deo aut  
sanctis iniuriam irrogando, puta maledictus sit, &c.  
Et ad hunc modum reducitur blasphemia irrogan-  
tium iniuriam Deo aut sanctis, dum indignati resonā-  
membra eorum pudenda: siue quæ habent, siue quæ  
non habent. Et scias, quod licet blasphemia multos  
habeat gradus (dum grauior est contra Deum, quam  
contra beatam Virginem: & haec grauior quam con-  
tra sanctos: & rursus grauior est quæ ex affectu  
detestatio Dei aut sanctorum, quam quæ ex passio-  
ne extranea aut mala consuetudine: quasi non sit vi-  
rilis animi, qui loquitur sine blasphemia, ut videtur  
apud multos inoleuisse) omnes tamen sunt eiusdem  
speciei. Nec unquam excusatitur quis à mortali, si sit  
mentis compos, nisi inaduententia esset in causa:  
hoc est si ex lapsu linguae protulit verbum blasphem-  
um, non aduentendo sensum verborum: ira quod  
si aduentisset, certus est quod non dixisset, tunc eni-  
m fuit blasphemia non formaliter, sed materialiter  
tantum. Scito quoque, quod dicere ad sanguinem  
Dei vel ad Dei: siue inuocando per modum iniurian-  
tis: siue resonando in rixa aut turbatione contra ali-  
quem, non est blasphemia: quoniam postquam ver-  
bum